

Gustav Georg Zeltner    Johann Conrad Zeltner

**De Foeminis ex Hebraea gente Eruditis ...**

**Dissertatio Prima**


Altdorffi[<sup>i</sup>] Noricorum: Kohlesius, [1708]

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830128638>**

Band (Druck)    Freier  Zugang









*B6-1053<sup>1-31</sup>*



Ex  
Bibliotheca  
Academiae  
Rostochiensis

2.

3.

4.

7.







31.

Q. D. B. V.  
DE

48.

# FOEMINIS

ex Hebræa gente

# ERUDITIS

DISSERTATIO

PRIMA.

PRÆSIDE

GUSTAVO GEORGIO

ZELTNERO,

SS. Theol. D. ejusdemque & LL.

OO. PP. & V. D. M.

*Examini DNN. Commilitonum*

d. Januarii A. 1708

EXPOSITA

à

JOH. CONRADO ZELTNER

SS. Theol. & Phil. Stud.

---

ALTDORFFI NORICORUM

Typis JODOCI WILHELMI KOHLESII Univerf. Typog.



**VIRO**  
*MAXIME REVERENDO AMPLISSIMO*  
*atque EXCELLENTISSIMO*  
**DN. JOH. CONRADO**  
**FEURLINO**

Theologo celeberrimo, Superinten-  
denti Ecclesiæ Nordlingensis Spectatissimo  
Gravissimoque

*Sacra initiationis suæ* TESTI COLENDISSIMO

Item,

*PRÆNOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO*  
*atque EXPERIENTISSIMO*  
**DN. JOH. ABRAHAMO**  
**MERKLINO**

Medicinæ Doctori, & Illustris Rei-  
publicæ Norimbergensis Physico ordinario  
longe famigeratissimo ac meritissimo


*DNN. MUSAGETIS, PATRONIS, atque*  
*FAUTORIBUS omni & obsequii & observan-*  
*tia cultu prosequendis*

Primitias hæc studiorum Academicorum, & cum  
iis se suasque Musas ad benevolentiaæ ulterioris &  
favoris invitamentum

*devote consecrat*

**JOH. CONRADUS ZELTNERUS**  
Resp.





I. N. D.

CAP. PRIMUM

De

*Fœminarum Judaicarum Eruditione uni-  
versim agens.*

**F**Ria sunt fœminarum eruditæ genera, quæ  
historiæ literariæ studiosorum calamos exercere  
vel exercere etiam nunc possunt. Primum earum  
est, quæ universè bonis literis præter morem na-  
vando operam, singularem quoque famam sunt  
adeptæ, quales magno numero a non paucis, nominatim M. jam  
Theol. D. Joh. Sauerbrey, M. Joh. Paschio, M. Christ. Junkero,  
D. Christoph. Christ. Händtelio, Præf. Celebr. Dn. Prof. Omeisso,  
aliisque Disputationibus Acad. sunt enumeratæ. Secundum earum  
recensendarum materiam ac numerum subministrat, quæ certo  
disciplinarum genere in primis ex cultu inclaruerunt, quales par-  
tim Philosophiæ deditas olim Græciam complures, sectamque  
præcipue Epicuream, vel hinc etiam male nonnullis ut Rondellio  
visum, audientem, habuisse, imò neque omni ævo ac ætati de fuisse  
harum imitatrices alias, vel sola Celeb. Galli Ægid. Menagii Hist.  
Mulierum Philosoph. docere & comprobare poterit; partim Lin-  
guarum, quibus hodie ingenia meliora expoliuntur, exoticarum  
peritæ censentur, ubi qui catalogum texere fœminarum, quas in

A 2

illis



illis exercitatas omne exhibuit ævum, velit, diem illi potius deficere, qui materiam posse, non difficulter credo, adeo ut vel eam ob causam neminem id sibi argumentum sigillatim scriptiois ex instituto adhuc sumsisse arbitrer.

II.

Neque etiam constitutum nobis est in id pelagus ingredi, sed pro muneris rationibus ad solam Ebræorum literaturam sequiori sexui adamatam cultamque deflectere. Ubi tamen discernendæ statim & nobis occurrunt sceminæ Ebraica doctæ a mulieribus in ipsa gente Ebræorum doctrinæ ornamentis conspicuis. Inter illas eminent, quas cum alia maxime vero Principis ac supremæ nobilitatis dignitas reddidisset Illustres, tum vero etiam Hebraicæ linguæ studia magis illustrarunt; in quibus numeravit (de Principe Hebr. docto) D. G. H. Gözius, ex vetustioribus seculis fama nominis & rerum gestarum clarissimam Zenobiam Palmyrenorum Reginam, ex recentioribus autem in Anglica gente Joh. Grajam Duc. Suffolciæ gnatam Hebraica & loqui peritam; e Gallicana Annam Rohaniam & Dominam deGuimene, hanc tamen præ illa obscuriorem, in Germania denique Dorotheam Mariam Joh. Ern. Anhaltini Pr. filiam Johannis Duc. Sax. Vinar. conjugem; Amœnam item Amaliam Bentheimensi Com. natam sed Ludov. Pr. Anhalt. matrimonio junctam ejusque filiam Loysam Amaliam sermocinari Hebr. L. & ipsam callentem; Annam denique Sophiam Abbatiss. Quedlinb. Georgii Hass. Landgr. filiam; omissa tamen, quod admodum miror, Maria Eleonora Ludov. Philippi Palatini Pr. Ux. Joachimi Frid. Elect. Brand. filia, cujus nomini non tantum videre hodieque licet celebratissimum Joh. Cocceji Lexicon Ebr. inscriptum sed etiam in ejus gratiam usumque id conscriptum fuisse novissime ab Auctoris filio, ἀνεκδότων Parentis editore, memoriæ proditum est, idemque carmen Concion. Aulici, præf. subtextum, affatim confirmat. Succedunt & his aliæ in iisdem studiis occupatæ & suis hæc laudibus pene solis nobilitatæ, Quales inclaruerunt, Anna  
 Maria



Maria Schurmannia Germaniæ decus & ob excellentiam variæ doctrinæ jure primas tenens; Elifabetha Tanfeldia Angla 1639. defuncta; Maria Molinæa Patris vestigia premens cumque Schurmannia Hebr. etiam Epist. commercium non detrectans: Susanna Haberta scriptis itidem clara & Ludovica Saracena ex eadem Gallica natione in tenera juventute eam ob rem adultioribus in exemplum proposita: Cœcilia denique Sebutia Tiburtina Virgo, Bartoloccio in Bibl. R. P. III. inter alias Romæ habitantes a Linguae S: tanta notitia celebrata, ut Rabbiorum fastum contundere & Schurmanniæ pæne famam obscurare posse ipsi videatur. Quibus, a CL. Junkero nominatis sparsim, facile plures alias jungere possemus, nominatim ex prisco ævo Paullam Romanam Hieronymo in Epitaphio a L. Ebr. peritia insigniter laudatam; Medio, eoque vel a regnante inter Viros barbarie famoso, Heloisam, Petri Abælardi primum amicam, mox conjugem, dehinc Monialem, novissime Abbatissam Monasterii cui Paraclæti nomen a marito inditum, constitutam omni disciplinarum genere imbutam ac Hebraicæ L. inter cæteras callentissimam ingenii quoque monumentis probatam, A. circiter 1163. denatam; E propinquiori denique ætate & Sec. XVI. Annam Urbani Regii meritissimi Theologi thori sociam e Weisbruckerorum familia civem Augustanam ab ipsomet conjugæ & Phil. quoque Melanchit. tum propter alia *χρησιματα* tum vel maxime à sacra L. prinigenæ V. T. cognitione editisque speciminibus prædicatam & fortassis alias etiam nunc superstites paternorum studiorum testes, imitatrices & quasi hæredes. Sed cum ipsa gens Ebræa pro instituti nostri ratione nos postulet, missis hisce, primis saltim digitis, ut autumavimus e re fore, attingendis, illas potius spectabimus, quas Judæi e suis nobis ostentare queant doctrina & eruditione exornatas scæminas.

III.

Largam hic segetem nemo non expectaverit & ingentem JU-

A 3

DEA-



DÆARUM ERUDITARUM catervam, quisquis, quo Legis, uti loquuntur, præcipuam eruditionis in ea gente partem significaturi, studii flagrent amore, quibusve encomiis illud maectent, inscitiam autem contemptim contra habentes mirum in modum oderint, secum perpenderit. Primùm enim pervulgatam novimus inter eos antiquorum sententiam, quam in Bab. Sanhedr. f. 100. a. l. 8. a fin. consignatum reperimus, ubi: ר' יהודה בר' סימון

כל המשחיר פניו על דברי תורה בעולם הזה הקבה מכהיק זיויו לעולם הבא מראהו וגו' אמר ר' תנחום בר' הנילאי כל המרעיב עצמו על דברי תורה בעולם הזה הקבה משביעו לעולם הבא שנ' ירויון וגו'

i. e. R. Juda ait nomine R. Simon (en corruptum e vulgari pronunciatione nomen Petri!) *Quisquis ita incumbit legi, ut nigrescat inde facies sua hoc in ævo, ejus faciem illustri splendore donabit* (Conf. Dan. XII. 3. Matth. XIII. 43. i. Cor. XV. 40. 41.) *Deus O. M. in altero seculo sec. Cant. V. 15. ad spectus ejus &c. Imo R. Tanchum nomine R. Hanilai inquit: Quisquis famem patitur propter legis studia hoc in mundo, eum satiabit Deus in altero, sicut itidem scriptum est Ps. XXXVII. 9. Saturi erunt pinguedine domus tue, potabis eos flumine deliciarum. &c.* Ex quo posteriori effato ne quidem Rei Oeconomicae ob studium legis decrementsa, cujus tamen præcipua ad Matresfamilias cura devolvitur, à Judæis curari, haud temere colligas,

IV.

Multo vero magis id credideris tibi que persuaderi patiaris, ubi cogitaveris, ob causam plane eandem, literarum nimirum sacrarum cultum, primum quoque inter 613. præcepta *ⲡⲉⲣⲓ ⲧⲏⲥ ⲧⲉⲁⲛⲧⲟⲥⲟⲛⲓⲁⲥ* (פריה ורביה) appellatum tantum inter Judæos habitum, ut *בסכתה מתקיימת כל מצוות בעולם*

*Omnia*



*Omnia precepta mundi constituta esse & consistere existiment, inque id præcipue inquisiturum, quem miseri expectant, Messiam, imo & neglectum illius sanguinis effusioni, ut est in Cap. Eliezeris, æquiparari arbitrentur, violari quadantenus aut observationem ejus saltim differri ad tempus licere putent. Ita enim R. Levi Barzelonita ad præc. hoc. l. ap. Hotting. at verbis ex Majmon. Hilc. Ischuth c. 15. §. 14. & 15. verbotenus descriptis loquitur:*

ואם היה עוסק בתור' וטרודכה והיה מתירא מלישא אשה שלא יטרח במוזנת בעבור אשתו ויבטל מן התורה הרי זה מותר להתאחר שהעוסק במצוה פטור מן המצוות וכל שכן בתלמוד תורה מי שחשקה נפשו בתורה תמיד ושונה בו כבן עזאי ודבק בה כל ימיו ולא נשא אשה אין בידו עון והוא שלא יצרו מתגבר עליו אבל אם היה מתגבר עליו חייב לישא אישה ואפילו היו לו בנים שמא יבא

*Si studuerit quis legi inque ea occupatus fuerit, metuatque uxorem ducere, ne distrahatur curis æconomicis propter uxorem, atque eum in finem deinde forsitan a lege seu studiis desistat, tali licitum est & indultum si terminum nuptiarum seu matrimonii ineundi (quem ab anno 16. vel 17. inchoant) differat: Occupatus enim in precepto uno, liber est a preceptis aliis, multo igitur magis, qui operam dat doctrina legis, ut eam anima ejus desideret semper, eamque repetat exemplo filii Asai omnibusque vita diebus illi adhæreat: Qui hac conditione uxorem non ducit, haud peccat, dummodo concupiscentia ei non prævaleat; sin autem prævaluerit, etiamsi vel maxime liberos jam antegenitos habuerit, ad matrimonium ineundum obligatus est, ne incidat in cogitationem pravam, sive ut Paulus in eandem prorsus sententiam loquitur: εἰ δὲ ἐκ ἐγκρατέυεται, γαμησάτω, κρείσσον γὰρ ἐστὶ γαμησάω ἢ πνεῦσάω. 1. Cor. VII. 9. Utut enim hæc ad mares cumpri- mis atineant, imo juxta Mass. Jebhamm. c. 6. th. 6. אשה לא*

מצווה



מצווה על פריה ורבייה i. e. *Famina precepto de τεκνοποιία, prorsus non statuatur esse obnoxia*, rationibus plane ficulneis in Gem. f. 65. b. med. allatis & R. Johanne b. Beruka contradicente ipsisque Gemaristis adhuc disceptantibus, tamen locum & legem Gen. I, 28. utriusque sexui latam ad utrumque etiam spectare, quemadmodum & reliquas quas adductas audivimus rationes, nemo dubitaret, atque adeo & studendi molimina hinc utriusque confirmari quivis crederet, nisi contraria, ut ex paullo post dicendis constabit, Magistri juberent statuerentque.

V.

Accedit ad hæc odium internecinum, quo prosequuntur Judæi sapientes suæ gentis עמי הארץ seu rudes illiteratos & indoctos citra discrimen dignitatis ac generis (unde & plebejos reddere nolimus) homines, τὸν ὄχλον τὸν μὴ γινώσκοντα νόμον ἐπικατέρατον ἐντα, ut Joh. VII. 49. olim loquebantur. Unde factum ut non modo commercium quodcumque & conjugium inprimis atque affinitatem adeoque & foemellarum familiaritatem intimiorem fugiant, sed etiam, impune eos occidi ab erudito posse, in Pandectis suis perhibeant. De priori interdicto leguntur Bab. Pesach. f. 49. b.

L. i. seqq. sequentia : תנו רבנן לעולם ימכור אדם כל מה שיש לו וישא בת תה"ל לא מצא בת תה"ל ישא בת גדולי הדור לא מצא בת גדולי הדור ישא בת ראשי כנסיות לא מצא בת ראשי כנסיות ישא בת גבאי צדקה לא מצא בת גבאי צדקה ישא בת עמי הארץ מפני שהן שקץ ונשותיהן שרץ ועל בנותיה הוא אומר : ארור שוכב עם כל בהמה : Tradunt Magistri nostri : *Omnia omnino impendenda esse, ut possit quis filiam sapientis alicujus viri uxorem nancisci; quodsi tamen non obtinere possit, ducat filiam prastantioris alicujus ea ætate viri* (אנשי מעשה וצדיקים) i. e. sec. Raschi, e viris bene meritis & justis) si neque hanc impe- tra-



traverit, filiam Archi-Synagogi in thalamum adsciscat; quod si & illa desit, natam collectore eleemosynarum (Rafchi: quales non proficiunt huic functioni nisi probos & fidos) eligat. Hac quoque deficiente etiam Ludimagistri filiam ambiat; Dummodo non ducat in matrimonium illiteratorum & plane ineruditorum hominum filiam, quippe qui abominabiles sunt, & Uxores illorum reptilia deque filiabus eorum scriptura dicit: *Maledictus sit, qui cum jumento aliquo concumbit.* Egregia profecto de illiteratis judicia! tanto magis a nobis attendenda, quo apertius etiam ad sequiorem sexum hæc, quæ l. c. Johannis universim dicta & ab hisce sapientia turgidis Magistris leguntur enunciata, applicant. Quæ dilucidius adhuc omnia patebunt, ubi pergentes l. c. partim illæsa conscientia ejusmodi Amhaarez confodere & jugulare sanctissimo etiam Expiationis festo in diem Sabbathi incidente fas esse, licere quoque eundem diffindere instar piscis; contra vero non licere iter cum eo inire atque socium se illi adjungere, neque coram illo legis studio incumbere, neque, si quid perdidit, publice per præconem proclamationes instituere ut recipiat sua, & similia plura audacter & constanter affirmant, ac ne uxores quis ullo modo exceptas hinc esse censeat, tandem, illiteratorum e contrario adversus sapientes odium commemorantes, addunt l. c. l. 25. seq.

גדולה שנאה ששונאין עם הארץ את תת יותר  
משנאה ששונאין אומות העולם את ישראל ונשותיהן יותר  
מהם: i. e. *Odium quo prosequuntur Illiterati Literatos (discipulos sapientum) multo majus est, quam quod animo infesto externa gentes (τὰ ἔθνη) gerunt erga Israëlitas; Uxores vero istorum [indoctorum puta inter Israëlitas] longe vehementius ac virulentius sapientes abominantur ac detestantur.* Quis nunc deum hæc cogitans putaverit, Ebræos fœminas filias uxoresque suas non ad studia legis omnisq; doctrinæ sacrae impulsuros potius, ut hac sorte eximerentur abjectissima, quam ut quomodocunque

B

revo-



revocare vel ipsasmet ab eo conatu vel saltim parentes ab illarum institutione prohibere ausing, quod tamen fieri ab istis, certe languidius urgeri hoc negotium, Viris tantopere commendatum, mox videbimus.

VI.

Scilicet tantum abest, ut ad Legis suæ aliaque studia suas extimulent fœmellas Judæi, ut adverso immunes ab hujusmodi officiis, quibuscunque de causis, pronuncient, imo & durius aliquando de suscepto istiusmodi labore earundemque spontaneo conatu statuunt, de quibus ordine nunc dispiciendum erit. A moderatioribus initium facturis eorum nobis offeruntur decreta, qui non obstrictas esse aliqua lege ad literarum studia fœminas nude quidem, sed aperte & sine tergiversatione aut limitatione, affirmant; inter quos facile eminet accuratissimus Maimonides, cujus in Hilc. Talmud Tora c. I. §. 3. hæc conceptis verbis extat decisio:

נשים ועבדים וקטנים פטורים מתלמוד תורה: h. e. *Fœmina servique & minores pueri liberi sunt a studio legis seu ad discendam illam haud obligati.* Neq; id solum ex Magistrorum statuti-  
tis asseveranter tradit; verum etiam operæ pretium non admodum magnum easdem facturæ esse ulterius asserit, si forte ex abundantia quasi otio bonis literis horas quasdam ultro consecrare velint. Ita enim idem l. c. §. 13. scribit: אישה שלמדה תורה:

יש לה שכר אבל אינה כשכר האיש מפני שלא נצטווה וכל העושה דבר שאינו מצווה עליו לעשותו אין שכרו כשכר המצווה שעשה אלא פחות ממנו: i. e. *Si quæ mulier accuratius didicerit legem, non tamen mercedem pro isthac industria tantam, quantam vir aliquis, reportabit, eo quod præcepto divino is labor ipsi injunctus non est: Etenim quisquis agit, ad quod agendum non est, mandato divinitus sibi imposto, obstrictus, ea haud potitur mercede, quam, qui ex præcepto idem exequitur, sed longe hac minorem consequitur.* Quæ postrema

ut



uti caput Matth. XXIII. pene integrum, inprimis vero Pharisei jactabundi Luc. XVIII. merita omnemque ἐθελοθρησκείαν Judæis fere propriam, illustrent, alii videant; nobis autem id sufficiet hinc intellexisse, Judæos, utut vi legis alicujus ad studia literarum sacrarum consecranda mulierculas necessario haud teneri existiment, tamen libertatem eadem sectandi non omnino illis adimere, si Maimonidis fide & auctoritate inter suos alioqui haud exigua forte res agatur, quem & Rabbenu Jacob ben Ascher in Jore Dea n. 246. allegat atque sequitur.

VII.

Sed vero, ne ex solo Mosis hujus LL. Judaicarum Epitomatoris ingenio videantur hæc profecta, fontes dictæ sententiæ altius indagare juvabit. Quod ut ostendamus, non tantum sceminarum ab aliis Virorum officiis sacris, iis præsertim, quæ ad certum definitumque tempus sunt adstricta, immunitatem e. g. a recitatione quotidiana קריאת שמע, alligatione Phylacteriorum (תפילין) visitatione תפילות festorum solenniorum &c. e Talmudicis Digestis docere poterimus; Vid. Mischn. Berach. c. III. th. 3. & Bartenor. ad l. c. it. Chagiga c. I. th. 1. atque ex his Orach Chajim n. 38. Rambam Hilc. Tphillin c. IV. §. 13. & Krischma. c. VII. §. 1. &c. ac vel solum notissimum celebratumque inter omnes Axioma, quo כל מצות עשה שהזמן גרמה נשים פטורות i. e. *Ab omni præcepto affirmativo, cujus causa tempus certum est, mulieres libera perhibentur*, confirmat; Verum etiam hæc a studiis literarum divinarum mulieribus adscripta libertas e Maff. Kiduschin elucet, ubi asserta eadem & confirmata, (obscurius quidem in Mischna c. I. th. 7. dilucidius vero in Gem. Babyl. f. 29. b. l. 18. seqq.) hunc in modum reperitur: ללמרו תורה מגלן דכתיב ולמדתם אותם את בניכם והיבא דלא אנמריה אבוה מחייב איהו למגמר נפשיה דכתיב ולמדתם איהי מגלן



מִלֵּן דְּלֹא מַחִיבָא דְכֹתִיב וְלִמְרַתָּם וְלִמְרַתָּם כֹּל שְׁמִעוּהָ  
 לְלַמֵּד מִצְוֹה לְלַמֵּד וְכֹל שְׂאִינָה מִצְוֹה לְלַמֵּד אִינָה מִצְוֹה  
 לְלַמֵּד וְאִינָה מִנֵּלֵן דְּלֹא מַחִיבָא לְמִלְפָּנֵי נִפְשָׁה וְלִמְרַתָּם  
 וְלִמְרַתָּם כֹּל שְׂאִחְרִים מִצְוִין לְלַמְדוֹ מִצְוֹה לְלַמֵּד עֲצֻמוֹ  
 וְכֹל שְׂאִין אַחְרִים מִצְוִין לְלַמְדוֹ אִין מִצְוֹה לְלַמֵּד עֲצֻמוֹ  
 וּמִנֵּן שְׂאִין אַחְרִים מִצְוִין לְלַמְדָּה דְּאִמָּה קְרֵא וְלִמְרַתָּם אֵת  
 כֹּנִיכָם וְלֹא אֵת כִּנּוּתֵיכָם

i. e. Unde probatur, Patrem ad informandum filium obligari (de quo in Mischna cit. actum erat,) Resp. Quia scriptum est Deut. XI. 19. Et docete ea filios vestros; Ubi vero pater instruere filium non potest, tum, ut seipsum is informet aut informari curet filius, obstrictus est, quia itidem scriptum est, Deut. V. 1. Et discatis seu discite: (in Kal) At vero, quod ipsa, e. g. mater ad id non teneatur prestandum officium unde constat? Resp. Quia scriptum est ll. cc. Et docete & discite, (in Kal ac Piel,) unde colligitur, cuicumque mandatum est, ut discat, eidem quoque munus docendi injunctum esse, cui vero imperatum non est officium discendi, eidem neque, ut doceat alios, incumbere. Inst: Sed unde demonstrabitur neque feminam, ut suo Marte studeat in lege, divinctam esse? Resp. Ex ipsdem ll. script. id patet, ubi dicitur: Et docete & discite. Horum enim sensus est; Quemcunque alii informare debent, is nec laborem seipsam docendi recuset necesse est. Inst. Sed unde colligitur non esse alios feminæ instruende obnoxios? Resp. Quia dicit Scriptura ll. cc. in Masculino genere, Docete eos, i. e. Filios vestros, non autem filias. Qui locus satis difficilis vel eo nomine integer fuit recitandus, ut rationes insuper immunitatis a studio legis mulieribus concessæ dispalescerent, quæ tamen, utrum prægnantes satis sint & divinæ menti ex asse conformes, alii judicent; Mihi certe, quidquid Judæis videatur, hoc commentum valde



valde ingeniose excogitatum , ex digniori genere masculino, multis ac infinitis prope locis script. utrumque sexum nihilominus complexo , levis auræ instar dispelli posse persuasissimum est.

VIII.

Ad institutum nostrum propius accedet , si & alteram alterius asserti , quo licere tamen , si sponte velint , studia legis tractare , mulieribus , quanquam absque spe tanti præmii , causam repetere placuerit , quæ ex Toseph. l. 2. Kiddusch. à R. Joseph Karo in Cefeph Mischn. ad l. c. Maimon. luculenter exponitur:

שהמצווה רואג תמיד לנטל יעדו ולקיים מצות בוראו:

h. e. *Ideo majori premio dignus est , qui ad legis normam , quam qui ultro aliquid boni per agit , quia , cui expresso mandato aliquid imperatum est , de concupiscentia prava connata anxie laborare opus habeat , ut eam subigat ac retundat , & ut præceptum Creatoris sui exsequatur sollicite curare necesse est* , quod in sponte susceptis negotiis & bonis , ut putant , id genus operibus non sit , cur tanto conatu & difficultate præstetur. Quæ ratio , si a summa rei discedam , vel ideo magnopere placet , quoniam cum verbis Pauli ad Rom. VII. 8. *τὴν ἀμαρτίαν ὄντινὰ τῆς ἐντολῆς κατεργάσατο ἐν αὐτῷ πᾶσαν ἡμιθυμίαν , καὶ ἀφορμὴν λαβῆσα διὰ τῆς ἐντολῆς , ἐξηπάτησε αὐτὸν* , quæ tamen *χωρὶς νόμου νεκρὰ* fuerit , accusantis mirifice illustrat , novamque Synagogæ hac quoque in parte olim sanioris specimen subministrat ; de reliquo vero Maimonidis dictis aliisque de rebus pluribus statutis , quibus Judæi non quidem מצוה attamen רשות suis tribuunt , merito tamen aliquo (זכות) exinde derivato , totique Pharisaïsimo , fundamentum ejus ostendendo , lucem affundit.

IX.

Quæ cum ita sint , jam nullo hinc negotio constabit , quamobrem nusquam , oblata quantumvis sæpius occasione , inter officia sceminarum , sacra etiam studia , cum Viro fortassis obeunda,



numerentur , sed in aliis omnibus, quantum ad hæc, urgendis occupentur Apellæ. Audiamus horum compendium, ut a רמבם in Hilc. Ischuth. c. XXI. §. I. ex Mass. Cethubh. ubi sparsim multa de istis differunt Magistri , hunc in modum brevissime sistitur: מציאות האשה ומעשה ידיה לבעלה ומה היא עושה לו הכל כמנהג המדינה מקום שדרכן לארונ אורגת לרקם רוקמת לטווה צמר או פשתים טווה ואם היה דרך נשי העיר אינו אלא לטווה הצמר בלבד שהפשתן מויק את הפה והטווה היא המלאכה המיוחדת לנשים שנאמר: h. e. *Bona uxoris & quæ manibus suis operando acquirit , ad maritum pertinent. Quid vero illa huic opera præstat ? Resp. Pro more cujusque regionis ac terra diversa ; Ubi more receptum , ut texant uxores & ipsa texat ; ubi ex consuetudine acu pingunt , etiam hoc labore se exercent ; Si eadem fert consuetudo , ut fila ducant mulieres sive lutea sive lanea , eorum & ipsa tractet ac pensa trahat. Quod si vero universa hæc simul ac promiscue in urbe quadam tractentur , non potest tamen maritus eam adigere , nisi ad lanam tantum nendam , quoniam linum ori labrisque (humeclando) noxium est ; nendi autem exercitium , faminis quasi proprium censetur sec. Exod. XXXV. 25. Et omnes mulieres , quæ sapientes erant corde manibus suis nebant. Et quanquam præstantissimus hic Judæorum Doctor posthæc complura a mulieribus maritis suis exhibenda enarret , atque inter simpliciter necessaria , ut fila trahat , conjugis faciem manusque & pedes lavet , poculum impleat , lectum sternat & ad mandata præsto sit facienda , referat ; inter minus vera necessaria uxoris opera panem furno decoquendi , edulia alia parandi , vestes lavandi , liberos lactandi , frumentumque molendi & cetera exercitia atque officia recenset , per ancillas etiam subinde expedienda ; nusquam tamen legis discendæ studium*



studium five sua sponte five in gratiam conjugis aut cum eo sociata opera pertractandum injunctum videas, neque tamen etiam, quod valde miror, five hic five alibi, præter omnem expectationem, liberas, quod alias docuerat noster, a studiis esse propter impedimenta curarum Oeconomicarum earumque copiam & vim fecundas atque matres familias vel unico verbo subindicasse legas; licet frivolas alias ratiunculas imparis ad enarrata munia obligationis non neglexerit. Unde denuo colligere haud temere quis queat hanc, si reliqua, quæ expedienda sunt negotia, spatium concedant, operam studiis utcunque navandi, tacite mulierculis potestatem ab eo fieri, neque a quoquam sexum hunc sequiorem ab hoc instituto prohiberi aut arceri.

X.

Verum, si fontes ipsos Judaici Juris inspiciamus, multo rigidius de isthoc negotio & mulierum ausu statui atque decerni reperiemus; Eum scilicet in modum, ut, cum functiones rei oeconomicæ strenue urgeant, cum illis tamen studia legis five consistere non posse five jungi non debere planissime affirmare videantur. Præmittemus autem cæteris historiolum admodum notabilem, quæ licet in Bab. Joma & Hieros. Sota subindicetur, malumus tamen ex Toseph. Sota fol. 21. b. l. 2. fqq. ipsa verba pleniora repetere sic habentia:

מטרונה שאלה את ר'א מפני מה חטא  
 אהרון במעשה העגל והן מתין שלוש מיתות אמר לה  
 אין אישה חכמה אלא בפלך אמר לו הורקנוס בנו  
 בשביל שלא להשיבה דבר אחר מן התורה אברה ממנו  
 ג' מאורח כור מעשר בכל שנה אל ישרפו ולי' ימסרו  
 דברי תורה לנשים:

*h. e. Matrona quadam postulaverat a R. Eliehere, ut quomodo tantopere peccaverit Aharon in conflando vitula, ita ut mortui fuerint tribus mortis generibus Israelitas, se doceret;*



Is vero Respondit illi : Non sit fœmina nisi ad eolum tractandum erudita , quasi adderet , nihil hæc ad te spectant aut nosse interest : Et cum filius ejusdem, Hyrcanus nomine , equare non fœmine huic in legem inquirenti satisfaceret , patrem interrogasset , atque ita fore , ut impofterum trecentis coris decimarum singulis annis carendum sit , monuisset , id resp. loco filius a patre tulit : In ignem potius ut projiciantur satius esse , quam ut tradantur fœminis, verba legis. Dura profecto sententia, sed si cum pervulgato dicitio in Kidduschin de X. Cabis loquacitatis, quorum novem fœmellis obtigerint , atque universali propemodum omnium **בנות ישראל** accusatione, quod sint veneficæ, in Berachoth, aliisque de eodem sexu asperioribus judiciis componas, minime fortassis admiratione excipienda , praxi præsertim hujusmodi increpationes , sic ubi de religionis negotiis interfari, fœmellæ audeant, ut auribus ipse me is audire memini , confirmante. Cæterum & lucem hinc capient , quæ de propriis muliebri sexui nendi officii paullo ante docuerat Mose Ben Maimon & alias quoque apud Talmudistas vix aliam nisi manuariam Uxoribus suis operam, præsertim in Cethubth c. V. integro aliisque locis parallelis inculcantes passim leguntur tradita atque stabilita. Nostrum autem erit ad liquidiora ex rigore hocce statuta pergere , quæ præsto sunt & in medio posita.

XI.

Etenim non constitit in hac severitate Vetustissimorum Judæorum , quantum ad arcendas a Legis studiis ac eruditione comparanda mulierculas , austeram definitio , sed quod R. Elieferis exemplo , suam veluti mentem edifferentis immoderatius , paullo ante commonstratum est , idem illud interdicto valde memorabili ex ejusdem R. Elieferis rigore profecto confirmarunt , cujus verba ex Mass. Sota c. III. th. IV. adscribere placet , **אמר ב' ענאי , חייב אדם ללמוד את בתו תורה שאם תשתה תדע שהזכות**



שהזכות תולה לה ר' אליעזר אומר כל המלמד כתו תורה  
 כאלו למדה תפלות ר' יהושע אומר רוצה אישה בקב  
 תפלות מתשעה קבין פרישות הוא היה אומר חסיד שוטה  
 ורשע ערום ואשה פרושה ומכות פרושין הרי אלו מבלי  
 : עולם h. e. B. Wagenfeilio nostro interprete : *Dixit filius*

*Asai : Tenetur homo docere filiam Scripturam sacram , nam si forte bibere cogatur (aquas amaras adulterii suspecta,) securus erit , (Pater) ob sacrarum literarum studium (ex merito aliquo boni hujus operis præstiti , de quo antea actum fuerat,) vim nocivam in suspenso futuram. Contra R. Elieser ait : Quisquis filiam suam legem edocet , is eam docet amandi artem ( ex sententia Wagenfeilii,) R. Josua ait : Magis expetit mulier unum Cabum Rei veneræ , quam novem Cabos vitæ solitaria. Idem ore frequentabat : Homopus qui insipiens , improbus qui astutus , Mulier Phariseæ & vulnera Phariseorum , ecce ista sunt , qua orbi interitum afferunt. Hæc celebris illa est de Fœminarum Eruditione sententia a R. Eliesere quidem prolata , a R. Josua quoque confirmata , sed , quod præcipuum est , a Magistris etiam per הלכה ut vocant , approbata , de qua nunc pluribus erit dispiciendum ; Hoc vero loco postrema verba , etsi primario huc non spectant , occasione suppeditata , cæteris addere visum nobis fuit , ut ex fœmina Phariseæ , cujus hic explicate facta est mentio , ac Vulneribus Phariseorum , quorum itidem Mischna meminit , ad læsionem corporis usque להראות שהוא עניו וצנוע sec. Bartenorient. in Comm. ad h. l. vultum simulatò demittentium atque aliorum contactum fugiendo ad parietes declinantium , discas , nomen sectæ id fuisse , cui & fœminæ adhæserint , non officii , aut eruditorum tantum , ut vulgus putat , titulum ; & intolerabili insuper fastu atque hypocrisi , vel solo tactu aliorum se pollui credentium*

C



tium cognitis, hinc ll. N. T. Luc. VII. & Matth. VI. atque XXIII. addito ex V. T. Es. LXV. 5. rectius intelligas, de quibus Pharisæi gradibus & generibus ex Hieros. Berachoth fol. 12. col. 2. atque Babyl. Gem. ad loc. nostrum Sota plura adduci possent, nisi hanc operam Lightfootus ad c. III. Matth. jam dudum occupasset.

XII.

Proinde vocabulum תפלות quod in Mischna invenitur usurpatum, quodq; interpretes magnopere vexat torquetve, considerabimus potius tanquam ad institutum nostrum inprimis faciens. Reddidit illud B. Wagenseil. per Rem Veneream seu amandi artem, haud dubie ad sequentia verba respiciens, ubi ex nomine opposito hunc elici posse sensum non ab re autumavit. Digna vero res est, tum propter Magistrorum Judaicorum mentem plenius investigandam tum vero etiam loca quædam Scripturæ intelligenda certius (in quibus illa vox occurrit) quæ expendatur pluribus. Legitur scil. hoc vocabulum partim Masculina forma תפל partim etiam foemina תפלה aliquoties in Jobo Jeremia & Ezech. illa frequentius & ut puto septies, hac vero non nisi ter & quidem Hiob I. ult. c. XXIV. 12. ac Jer. XXIII. 13. Quorum locorum primo, non dedisse seu non imposuisse Jobum quamvis afflictum Deo תפלה, altero de ipso Deo non notante sive in impiis sive occisis ab hisce תפלה, postremo denique de eodem in Prophetis Samariæ Seducatoribus vidente תפלה sermo est; quæ loca in Targum per מלי מחטי verba peccantia, per חוב reatum & culpam atque a Jonathane denique per רשע translata sunt. Si Judæos interpretes consulas a Raschi ad Job. I. per שום שמץ ותפלות ועול rem nauci & iniquitatem, ab Abeneira ib. per דבר גרוע שאין לו טעם & a רדק ad Jer. I. c. per דבר גרוע שאין לו טעם i. e. per rem mancam, deficientem, cui nihil saporis inest, explicari videas; תפל autem per inconditum (qui signi-



significatus etiam in Arabica lingua superest) aut ineptum exponi posse ac debere, (quibus verbis Joh. Coccejus in Lex. usus est addiditque illis Germanica admodum convenientia, *nicht zube- reitet / nicht zugerichtet /*) & albuminis ovorum insulsi sapore ingrato ac veluti salivæ respondente illustrari posse vel solis Hiobi verbis oppositis **מלי מלה** demonstrari potest; quæ porro ad calcem haud recte paratam ad oblinendos seu incrustandos parietes incommodam multoque magis ad moralem animi corruptionem, uti & latini insulos ac insipidos vocare solent fatuos homines, transferri posse nemo non videt. Ex quibus apparet tum Aruch seu Lex. Hebr. tum etiam Glossam ad Pesachin, (quem ambiguum locum in Lex. Buxtorff. adducit) **עכירה** hoc vocabulum simpliciter, etiam sensu Talmudistarum, interpretantem & huic loco per ineptitudinem aut iniquitatem reddendo magis quam alii versioni favere, neque etiam tam Biblicum quam profanum vocabuli usum a notione insulsi seu fatui abhorrere. Non desuere quidem & B. Wagenfeilio, cur de re Venerea hoc nomen exposuerit, causæ; Habet enim secum consentientia non tantum, ut supra monuimus, sequentia, quæ hac de re agunt, proxima verba, (si vocem **פרישות** de separatione Viri ex thoro conjugali accipias, uti ex R. Chananeel mente in Addit. Talmudicis Margin. explicatur, aliis vero de Pharisaismo rectius videtur intelligenda,) verum etiam ad stipulantem R. Obad. Bartenor. in Comment. qui **תפלות** haud dubie ex Rad. **טפל**, sicut & Jom Tobh. in To- seph. observat, facta mutatione literæ ט in ת, per **חכור** **במשכב אנשים** i. e. *conjunctionem in concubitu virili* seu Veneris usum interpretatur, At vero & hisce objicient alii partim nimis coarctatam vocis **פרישות** significationem, partim sequentem mox foeminae **פרושה** seu Pharisaee in Mischna mentionem, ad quam separatio e thoro plane non quadrat, partim denique & ipsam Matrem lectionis inter ת ac פ interpositam literam, nimirum quiescentem? vocis **תפלות** non **תפלות** notio-



nem subinnuentem, ut omittam cæterorum Commentatorum vel silentium vel contradictionem & similia alia, quæ dum alii, quibus otium est ad has nugas excutiendas, examini subicient accuratori, nobis sufficiet in pejorem partem de eo שאין מהוגן seu quod laudabile non est, hujus vocis significatum accipiendum esse.

XIII.

Nimirum, quicquid etiam statuendum sit de voce תפלות & quoquo modo transferatur, ex hoc dicto aut edicto potius manifestum est, adeo non probari Judæis sexus muliebris, suæ quoque gentis, studia, ut potius male sibi ex iis metuant atque hinc interdictum iisdem serid velint, quemadmodum etiam hodieque ad improbandam mulierum, in lege addiscenda literisque tractandis, positam industriam a nostris Verpis illud ingeminari subinde audias, ab antiquioribus vero, velut ex universorum consensu, ita aperte recipi videas, ut non tam de interdicti veritate, quam sensu & ambitu, si quæ occurrat dubitatio, superfit inter eos disputatio, ac nominatim quidem, ad omne legis studium id pertineat, nec ne, unice propemodum in controversiam

vocetur: Ita enim Moses Kozzenis in סמנ Præc. Aff. XII. f. m. 90. col. 4. l. 41. seqq. hac de re scribit: אמרינ' בסוטה

פרק הנוטל כל המלמד כתו תורה כאלו מלמדה תיפלות ונראה הרבנים דווקא תורה שפה על פה שעל ידי כן נכנס בה ערמומית אבל תורה שבכתב לא ילמד אותה לכתחילה ואם מלמדה אינו כמלמד תפלות:

*h. e. In Sota cap. III. tradimus: Quisquis filiam suam legem docet, perinde agit, ac si doceret eam Tiphloth [retinebimus hoc vocabulum, ut quisque suo sensu abundare possit,] sed videntur omnino verba isthac præcise de lege oretenus propagata, propter cujus studium in astutiam fæmina facile prolabi possit, esse accipienda: Quodsi vero de scripta lege eadem verba accipias, sensus erit:*

Si



*Si res adhuc integra sit, neque illam quidem mulierem esse docendam; Si tamen quis eam docuerit, non esse illud pro Tiphlut habendum.* Ex quo loco tria colliguntur; Primo communem eam perhiberi sententiam Synagogæ totius, quæ videbatur in Mischna R. Elieseris privata fuisse, ut ex superioribus constat, opinio, quod & ulterius ac dilucidius ex Maimon. patet, ap. quem, cum de eadem re eadem pæne verba legantur in Hilc. Talmud Tora c. I. §. 13. tanquam de mandato Sapientum universali (ציוו חכמים) inquit, sermo est; Alterum, non qualemcunque legis a Magistris notitiam intelligi sed accuratiorē, quæque eruditionis nomine appellari queat; Denique & hunc Mosen significationem vocis תפלות in pejorem quidem partem acceptæ definire non amplius fuisse ausum, quanquam rationem interdicti redditurus ab insipientia longius discedere & ad fraudulentæ atque calliditatis notionem propius accedere ac propendere videatur, de quo ex Gemara jam pluribus dispiciemus.

XIV.

In hac enim, ubi ex more recepto in causas legum inquiri & si quæ oborta est controversia ventilari solet, hæc redditur paullo ante memoratæ sententiæ asperioris ratio: Sota Bab. f. 21.

b. l. 4. fqq. אר אבהו מאי טעמא דר אליעזר דכתיב אני

חכמה שכנתי ערמה כיון שנכנסה חכמה באדם נכנסה

עמו ערמומית h. e. *Querit R. Abhhu, qua ratione subnixus*

*R. Elieser hac statuatur?* (quæ de mulieribus in lege non instruendis

sed arcendis ab ea potius dixerat,) *Resp. Verbis Prov. c. VIII. 12.*

*ubi scriptum extat: Ego sapientia cohabito astutia, cujus loci*

*sensus est: Quando sapientia in hominem ingreditur, simul eum*

*quoque occupare astutiam.* Quibus subindicari videtur, Judæos

rationem hanc sententiamque latam Elieseris approbantes suam-

que facientes, (quicquid etiam alii l. c. de dicti Biblici allegati in-

terpretatione ad nuditatem vel nescio quam simplicitatem detorti



sentiant,) ideo averfari foeminarum in lege eruditionem etiam  
facram, quod verentur, ne fexus ifte vel fic fatis callidus ad au-  
gendam vafritiem hac institutione magis magisque abutatur.  
Maimonid. vero in Talmud Tora c. I. §. 13. Doctorum mentem  
ita explicat: **מפני שרוב הנשים אין דעתן מכוונת להתלמד**

**אלא הן מוציאות דברי תורה לדברי הכאי מפני עניות**

**דעתן** i. e. Propterea arceri, a studiis mulieres, *quoniam ple-  
raque non habent sine intentionem rectam sine ingenium potius  
ad discendum literas aptum, sed verba legis, propter imbecilli-  
tatem mentis sua, in verba hyperbolica (idem in Comment. ad  
Mischn. cit. addit **לדברי משלים**) ac parabolica convertunt aut  
doloſe pervertunt potius. Quæ non minus ac ipſa Talmudicorum  
dicta rem omnem ad diffidentiam de doctrina à mulieribus rite  
recteque collocanda applicandaque ſpectare luculenter docent,  
quove in pretio hujus ſexus & animus & ſtudenti conatus ſit ſatis  
ſuperque oſtendunt.*

XV.

Immo parum nunc abeſt, quin, cum ſupra ingentem de  
magna in Judæorum gente foeminarum doctrina liberali imbuta-  
rum copia ſpem conceperis, ob legis ſtudium omnibus bonorum  
operum meritis longe antepoſitum, (Vid. Maſſ. Pea c. I. th. i. ubi  
aliis pluribus enumeratis **תלמוד תורה כנגד כלם** eſſe dicitur)  
hoc jam odium in foeminarum ſtudia tecum conſiderans ul-  
lum Eruditionis in hoc populo eove ſexu exemplum inventum iri  
deſperes. Illud certe exploratum mihi atque indubium videtur,  
non aliud, quam hanc ipſam rationem & quaſi prohibentis inſtar  
legis vim & aſperitatem in cauſſa fuiſſe, cur ex eo tempore ne  
totidem quidem, quot Thebarum portæ fuerunt, reperire mihi  
licuerit. Quæ tamen, quam pauca etiam fuerint, utrum tri-  
tum Rabbiorum Proverbium: **אם יעלה חמור בסולם** :  
**המצא דעת כנשים** i. e. *Si aſcenderit aſinus per ſcalam, tum*  
*& in.*



*& inveniatur scientia in mulieribus*, sive de erudita scientia intellectu id velint, sive quod verisimilius est, de naturali ingenii acumine, qua tamen nulla audacior esset dicta a quoquam hyperbole, convincere erroris ac temerarii asserti possint videbimus.

XVI.

Illud interim, dum ad ipsum, quanquam tenuem & rarum admodum exemplorum recensum altera Dissertatione progredi licebit, monendum superest, cum nequidem ad sacra studia legisque suæ arcana mulieres admittere velint suas Judæorum Doctores, vix esse, cur magnum aut qualemcunque saltim profanæ eruditionis apparatus ab iisdem nobis promittamus; præsertim, postquam, quam alieno sit animo tota gens Ebræorum a doctrina externa & literatura Græca Latinaque non modo humaniori verum etiam Philosophia addiscenda, satis superque constat, & si a Lusitanis, hodie certe, discedas, uti vix millesimus quisque inter eruditissimos cætera Judæos vel prima elementa aut sapientiæ externæ rudimenta teneat, nemini cum ipsis conversato ignotum esse potest; magno quidem suo suæque conversionis ac salutis impedimento & singulari, ut arbitror, divino iustoque iudicio, quo fieri solet, ut quæ a nostris adversus ipsos latine plerunque scribuntur, (non satis laudabili consilio) hac ratione instar clausorum Librorum, ut prædictum est ab Es. XXIX. 11. 12. illis sint, quos nec evolvunt ac legunt nec legere queunt, multominus intelligunt aut in animum admittunt; At longo majori suæ nationis dedecore, quippe quorum sapientiam olim toti terrarum orbi ad inveniendam disciplinarum variarum secreta & excolenda eadem præluxisse non postremæ sortis Virorum Doctorum est sententia scriptis haud proletariis comprobata; quinimo ab ipsismet Judæis, quorum aliquis omnem sapientiam & disciplinam Paganorum לקט ופיאה שהניחו להם חכמי העכרים



העברים *spicilegium & velut angulum in agro relictum, à Judæorum sapientibus appellare veritus non est, stabilita.*

XVII.

Nihil tamen est, cur in admirationem hæc plerorumque imo pene omnium ruditas nos rapiat, quandoquidem non sola consuetudine sed execratione atroci antiquitus avocatos fuisse a Magistris suis universim omnes, sententia in eam rem lata ac promulgata, compertum est. Quod ut clarius pateat primùm R. A kibham audiemus, at quantæ inter suos auctoritatis virum! qui cum alios tum præcipue eum inter haud futuros æternæ vitæ participes numerat

בספרים חיצוניים אף הקורא בספרים חיצוניים i. e. *qui libros externos legat.* Vid. Sanhedrin c. X. th. i., ubi in Comment. R. Obad. Bartenor. explicationis gratia addit :

כגון ספרי אריסטו היוני וחבריו :  
ובכלל זה הקורא בספר דברי הימים של מלכי העולם  
ובשירים של ענבים ודברי חשק שאין בהם חכמה

: ולא תועלת אלא אבוד זמן כלכר: i. e. *Exempli gratia Libr.*

*Aristotelis Græci, (Philosophi) & sectatorum ejus; eodemque censu veniunt, qui legunt Libros Historicos seu Annales Regum Idololatricorum (non Judæorum omnium,) Cantica item amatoria aut res similes futiles in quibus nihil sapientie est aut utilitatis, temporis autem jactura plurimum.* Exinde vero & ipsam maledictionis formulam tribus vicibus nempe in Gem. Babyl. Menachoth f. 64. b. l. 18. seq. Babha Kamma fol. 82. b. & Sota fol. 69. b. med. sæpius inculcatam contemplabimur; quæ ארור

שיגדל חזיר וארור שילמד בנו חכמה יונית: h. e. *Maledictus sit (ex omnium sententia) qui saginat & nutrit porcum, maledictus item, qui filium suum docet sapientiam Græcicam, pronuntiatur.* Quamvis enim Auctores Margin. Addit. (Tosephoth) ad l. c. Menach. decretum hoc Hasmonæorum, & quidem nominatim Hyrcani ac Aristobuli tempore, quibus belligerantibus, mira



mira occasione, si vera est fabula, id primò omnium dicitur factum, atque a prima statuti hujus origine exempla plane contraria reperiri haud pauca non inficientur; tamen iidem etiam edictum illud circa excidium templi secundi **בפולמוס של טיטוס** in bello Titi Vaspasiani iteratum fuisse docent, & ex quorundam opinione primum istud decretum promulgatum quidem, at non æque ab omnibus receptum, ex aliorum vero sententia non tantam detestationem fuisse adjectam, postmodum vero **לכסוף לגמרי** h. e. *absolute prohibita* (studia profana) fuisse, per decretum, videntur asseverare.

XVIII.

Immo vero & rationem statuto Magistorum citra limitationem adiecit prodiditque, non obscure, sed aperte & de re quasi extra dubitationem posita differens, acutissimus Maimonid. in Hilc.

c. II. §. 2. & 3. Postquam enim de ipsa lege Judæos a profanorum Scriptorum lectione prohibente scripserat: **ספרים**

**רבים חכרו עכום בעבודתה היאך עיקר עבודתה ומה מעשיה ומשפטיה צונו הקכה שלא לקרות באותן:** h. e. *Multos*

*quidem Libros conscripserunt Idololatra de cultu suo, quam, puta, sint ejus fundamenta, qui ritus item ac ceremonia; sed praecepit nobis Deus O. M. ut non legamus in illis libris absolute, neque speculemur ejusmodi res aut ad quicquam eo pertinentium animum advertamus; paullo post causam redditurus dictorum inter alia pergit:*

**מוהרין אנו שלא להעלותה על לבנו ולא נסיה דעתנו לכך ונחשב ונמשך אחר הירהורי הלב מפני שדעתו של אדם קצרה ולא כל הדעות יכולין להשיג האמת על כוריו וכו'** *Quaecunque enim res fundamentum fidei nostra qualitercunque labefactare potest, ab ea utcun-*

D

que



que in animum demittenda avocamur & pramoniti sumus, ne mentem eo abripi patiamur & illam meditando hinc ad pravas cordis cogitationes ac desideria denique deflectamus, eo quod imperfecta admodum est mens humana, neque omnes rerum notiones ac naturas ex re & vero clare assequi potest. Et quanquam non desunt exempla, vel ipsius Abenefrae, Abarbanelis atque aliorum praestantissimorum in isthac gente Virorum, qui haud dubie a Mauris Aristorelis summis admiratoribus exstimulati in Philosophia Graecanica sese exercuerunt, sive limitatione, qua ad annum xxv. aetatis, ut est in Schalschel. hakkabb. f. 60. a. l. 20. lqq. aliquando Hispani haec coarctarunt, quod tamen decretum particulare fuit, sive necessitate compulsi, sive aliis de causis, quas ignorare me fateor; non tamen his, quam legibus potius innitemur, praesertim, cum & ipsi Hispani testentur, Sapientes suos, quidquid sit de conatibus quorundam privatis & extraordinariis, a Librorum Extranearum lectione quosque serio dehortari, uti verbis R. Meir Aldabi Toletani in Schebhile Emuna sect. 8. id comprobatum dedit Buxtorff. ad Cosiri P. I. S. 63. atque ipsa experientia ignorantiae omnibus prope Judaeis harum rerum & disciplinarum communis, ut supra notavimus, id ipsum luculentius confirmet.

XIX.

Quomodocunque autem Judaei Doctorum suorum decreta cum Exemplis contrariis aeternissimorum Rabbiorum conciliaverint; illud certe nobis hoc loco collectu perfacile erit, quando difficiles adeo in indulgendis profanarum literarum studiis sese praebent Magistri, ubi de Viris res agitur, multominus spei admittendarum in hac extranea perspicienda foeminarum aut unquam admissarum nobis relictum fore, eamque, quae in Jeruschalmi Sota f. 24. col. 1. l. 13. lqq. legitur, sive indulgentiam sive praecceptionem a R. Abhhu tanquam a R. Jochanan acceptam & collegis traditam, qua

מותר לאדם ללמד את בתו יונית מפני שהוא תכשיט לה  
 h. e. Licitum esse homini cuilibet filiam suam in Graecis institueret,  
 quia



quia id ipsi instar ornamenti est, dicitur; hanc inquam concessio-  
nem a privato profectam inter privatas quoq; ab integra gente nun-  
quam rati habitas esse reponendam, in primis eo, quod jam in Ba-  
byl. Gem. l. c. §. XI. unius R. Afai de studiis muliebribus sententia  
generalis legitur improbata & ipse denique R. Abhu l. c. Talmu-  
dico in auctoritate a R. Johanne derivanda valde se torquet, ut  
omittam novissime omnium, integrum Talmud. Hierosolym. ea  
inter Judæos haud quaquam pollere existimatione, ut illi soli fi-  
dem & obsequium addiderint. Quibus ita comparatis elucescit  
omnino Judæorum fœminas cum a sacræ tum etiam profanæ litera-  
turæ studiis manere ex Magistrorum suorum sententia exclusas,  
& si quæ nihilominus præsto sint documenta contraria, ea rectius  
inter extraordinaria esse numeranda ipsamque eruditionem earum  
qualemcunque furtivam magis quam Doctoribus probatam dici  
posse, quæ tamen omnia, utrum æquitati congruant, ipsi videant.

## XX.

Alia profecto fuit & longe diversa Apostolo Paulo & Ecclesiæ  
Christianorum primæ mens ac sententia. Nam licet constanter in ea  
publice in sacris cœtibus silentium fœminino sexui fuerit imposi-  
tum, tantum tamen absuit, ut, sive ex contemptu, sicuti Judæi solent  
quotidie Deo, quod non creati sint fœminæ, gratias agentes, sive  
diffidentia, (non enim plane nullam fuisse ex 1. Tim. II. n. & 12. patet,)  
plus justo majori sacrarum literarum intimiorem cognitionem &  
notitiam cum illis communicare noluerint, ut potius ἐπιμαθεῖν  
ἐθέλωσιν, ἐν οἴκῳ τὰς ἰδίας ἀνδρας ἐπιερωτᾶν, seu uti verba sonant  
1. Tim. II. n. ἐν ἡσυχίᾳ μαθητεῖν ἐν κυρίῳ ὑποταγῆς jubeantur, ἐν ἐκ-  
κλησίᾳ δὲ λαλεῖν ἀχρὸν judicetur, 1. Cor. XIV. 34. sqq.; Quibus  
sanè verbis maritis simul officium, mulieres, cognitionis uberio-  
ris Verbi Divini cupidas, instituendi & intra privatos parietes do-  
ctrina sacra largius imbuendi injungitur. Amplius, dum seniores  
fœminæ Tit. II. 3. ut καλοὶ δάσκαλοι sint junioresve dictis factis  
que probe instituant, serio admonentur, non modo potestatem


aliunde



aliunde sacram eruditionem hauriendi & in animum admittendi, eisdem concedi intelligitur, sed & propagandi ad alios, ejusdem potissimum sexus, facultas datur; quæ omnia usu quoque frequenti ac continuo diutissime Ecclesia Christi antiquitus ita comprobavit luculenter, ut præter Diaconissas, (loquimur ex sententia vulgari) quas ancillas in Ep. ad Traj. appellavit Plinius, presbyterissas etiam consecratas & dicatas sacro cultui, quarum ætas annis 60. circumscripta est 1. Tim. V., habuerint aluerintque; Quibus ad evitandam omnem suspicionis malæ speciem, tum ad alia munia, tum etiam ad instituendas in Christianismo foeminas verbumque Christi in gynæcea per easdem introducendum absque reprehensione, [ut ex Conc. Carthag. IV. can. XII. & Clem. Alex. L. III. Strom. p. 448. colligitur,] uti possent, qua de re in Comment. de Presbyterissis V. E. §. inpr. 49. B. Matth. Zimmermannus videri potest. Quoniam autem præter hoc docendi officium, quod sacram utique eruditionem requirebat, & negari per omnia vix potest, distinctæ ne fuerint a Diaconissis Presbyterissæ, an vero plura, alterum officii tantum, alterum ætatis, sed personarum prorsus eandem fuerint nomina, inter Eruditos disceptatur, (unde ex vulgari sententia nos paullo ante loqui dixeramus, contrarium vero ex Epiphani Hæres. LXXIX. a B. Gundlingio ad Conc. Laod. Can. XI. demonstratum videre licet,) hinc molliorem hætenus nobis erga foeminas erudiendas mitioremque Christianismi primi quam Judaismi mentem intellexisse sufficiat. Reliqua aliis relinquentes evolvenda ad ipsa Exempla Eruditarum foeminarum, per pauca quidem, satis tamen, ut puto, illustria e Gente Judæa recensenda, pedem movebimus.

## XXI.

Ea vero, cum justam tractationem exigant, angustis hisce terminis consulto nobis positus veremur includere; sed seq. Deo volente, Dissertationi servamus consideranda, ac summo Numini pro viribus ad hæc generalia exponenda concessis gratias humillimas agentes, ut & reliquis conatibus clementissime adspiret, religiose supplicamus.























invenietur scientia in mulieribus, sive de intellectum id velint, sive quod verisimilius est, nisi acumine, qua tamen nulla audacior esset hyperbole, convincere erroris ac temerarii a-

XVI.

Illud interim, dum ad ipsum, quanquam admodum exemplorum recensum altera Dissertabit, monendum superest, cum nequidem adque sua arcana mulieres admittere velint suas res, vix esse, cur magnum aut qualemcunque eruditionis apparatus ab iisdem nobis promittat postquam, quam alieno sit animo tota gens Romana externa & literatura Graeca Latinaque non verum etiam Philosophia addiscenda, satis super si a Lusitanis, hodie certe, discedas, uti vix inter eruditissimos caetera Judaeos vel primaevae scientiae rudimenta teneat, neminiversato ignotum esse potest; magno quidem versionis ac salutis impedimento & singulari, vino justoque judicio, quo fieri solet, ut quae ipsos latine plerunque scribuntur, (non satis hac ratione instar clausorum Librorum, ut praeter XXIX. n. 12. illis sint, quos nec evolvunt ac legunt, multominus intelligunt aut in animum longo majori suae nationis dedecore, quippe quae olim toti terrarum orbi ad inveniendam disciplinam creta & excolenda eadem praeluxisse non postquam Doctorum est sententia scriptis haud proleto quinimo ab ipsismet Judaeis, quorum aliquis o & disciplinam Paganorum יניחו להם חכמי העברים



the scale towards document

a iti  
nge-  
uam  
vide-  
  
rum  
lice-  
egis-  
octo-  
fanæ  
rtim,  
ctri-  
aiori  
t, &  
sque  
t sa-  
con-  
con-  
di-  
ersus  
filio)  
b Es.  
gere  
; At  
tiam  
n fe-  
Viro-  
bata;  
tiam  
לקק